

DISPUTATIO XVIII.
DE VETERI ET NOVO TESTA-
mento, eorumque discrimine.

THESIS I.

Aliud Vetus, aliud Novum Testamen-
tum esse, ex scriptura certum est.

2. Quid verò sit Vetus, & quid Novum Testamentum, & quo discrimine discernantur, sententiis multum variantibus disputatur.

3. Pelagius, & ante hunc Epiphanius, Clemens, & Justinus, in ea fuit opinione, homines perfectè legem Dei implere posse, & idè in V. T. aliam iustificationis rationem fuisse, quàm nunc sit in Novo.

4. Quem rectè refutat Augustinus ex Eph. 4. v. 4. Hebr. 13. v. 8. Ioh. 8. v. 56. Rom. 4. v. 1. 6. Gen. 4. v. 7.

5. Scholastici & quidam ex Patribus, tam N. quàm V. T. de doctrina legis intelligunt: sed ita, ut præcepta imperfectiora sint in V. perfectiora in Novo.

6. Quæ opinio ex Mose & Prophetis refelli potest, Deut. 32. v. 35. Levit. 19. v. 18. Exod. 23. vers. 4.

7. Quod autem Christus Ioh. 13. v. 34. mandatum de dilectione vocat novum, fit 1. quia novo modo illud tradidit, 2. quia non proponitur veteri homini, sed renovato.

8. Pon-